



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Impedit usum Ordinis, parag. 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40132**

unica Irregularitate ante ipsius Ordinum susceptionem contractam, quia per dictam susceptionem Irregularitatem aliam non incurrit.

3. Quando igitur in Sacro Textu legis, Ordinationem Irregularis esse nullam, esse irritam, & cætera. Intellige, quoad executionem, & veluti, quoad effectum, quia licet Ordines susceptos exequi, ut mox dicemus, non possit.

4. Quoad primam Tonsuram, quia hæc non est Ordo, ut communis, & vera sententia docet, quantum est ex hoc capite; validè & licitè suscipi posset ab Irregulari, quia is per Sacros Canones solum arcetur ab Ordinibus. At, quia illa est janua, & dispositio ad Ordines, & propter illam gaudet Tonsuratus Privilegijs Clericalibus, fitque idoneus ad Ecclesiastica Beneficia, Ecclesiasticamque Jurisdictionem, peccabit a graviter Irregularis primam Tonsuram recipiens, quia tentat fieri ad prædicta idoneus contra Ecclesiæ voluntatem.

5. Interrogabis, Eiusmodi Irregularis tonsuratus gaudebitne privilegijs Clericorum sive Canonis, sive Fori?

Respondet, gavisurum; quia cum Tonsuram validè recipiat; eam enim nunquam invalidam reddidit Ecclesia (quamvis, quia non est Sacramentum, sed tota dependens ab ipsa, potuisset) cum, inquam, validè recipiat, est verus Clericus, & ex alia parte non invenitur ijs, licet contra eiusdem Ecclesiæ præceptum promotis, Clericorum privilegia esse sublata.

6. Excipe Bigamos: Clerici enim conjugati cum unica, & Virgine, quamvis gaudeant privilegio Canonis, & Fori, quia sic Bigami non sunt, at Bigami utroque b privilegio privantur.

7. Eiusmodi illicitè Tonsuratum puto itidem, privilegio Immunitatis à Gabelis, propter eandem rationem, gaudere; iam enim est persona Ecclesiastica. Quare, si cæteras conditiones habet, quæ ad hoc privilegium participandum requirunt Sacri Canones, non est, undè is illud denegetur.

8. Denique advertet, Irregularem non expelli à receptione aliorum Sacramentorum, præter ordinem, nec ab ingressu, & Professione Religiosa modo in ea Religione, nec Ordinem, nec Prælaturam, nec Dignitatem sine dispensatione suscipiat.

9. Potest item Irregularis interesse Divinis

Officijs, Missam audire, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & Sacramenta alia, præter Ordinem tuto suscipere, Ratio est, quia in prædictis ex parte recipientis nullum datur exercitium Ordinis, quod exercitium esse prohibitum Irregulari in paragrapho sequenti dicemus, & ex alio capite nulla est in Jure prohibitio his alijs actionibus, facta Irregulari.

§. II.

Irregularitas impedit usum Ordinis.

1. Irregularitas innodatus illicitè & a quidem mortaliter: exercet, sive actus ipsius Ordinis, sive actus, qui fieri nequeunt sine potestate Ordinis, idque, sive per activum usum, sive in uno, per passivum. Explico singula,

2. Per activum usum est, si Episcopus, Irregularis consecrat alteri quemcunque Ordinem, etiam primam Tonsuram, Si Sacerdos Irregularis Missam celebret; si idem à peccatis absolvat; hi enim sunt Actus Ordinis.

Activus item usus est, si idem Sacerdos solemniter Benedictiones Nuptiarum, vel Baptismum, & similia exhibeat, vel, si idem Episcopus Irregularis Altaria, Tempia, Calices consecrat, vel vestimenta Sacrificij benedicat; hi enim sunt actus, qui fieri nequeunt à non habente potestatem Ordinis.

3. Dixi nu. 1. (illicitè) nam valida esset collatio Ordinis, Consecratio, Benedictio, &c. Ecclesia enim non potest, & pro prima Tonsura (ut supra diximus) non vult tollere potestatem à legitimis Ministris &c. Antequam Irregularis validè absolvat a peccatis, cum tunc requiratur Jurisdictio collata ab Ecclesia, mox ex paragrapho quarto sciri poterit.

4. Dixi item eodem num. (sive actus, qui fieri nequeunt sine potestate Ordinis) nam alij actus, qui possunt exerceri à Laicis, quamvis ex officio à Clericis exercentur, possunt b licite exhiberi ab Irregulari, quia tunc Irregularis non agit, ut Clericus prohibitus per Irregularitatem, sed, ut quilibet Laicus.

5. Hinc licite irregularis baptizat non solemniter, urgente necessitate, hinc licite Missæ inservit, præstatque omnia, ad quæ deputantur Clerici in Minoribus, & propter eandem rationem horas Canonicas in Choro, solenni cantu, licite persolvit, ne tamen dicat (Dominus vobiscum) id enim proprium est Sacerdotis.

E

6. Dixi

alios citans  
T. 1. de Ir-  
reg. d. 3. qu.  
7. Covarr.  
in r. Alma  
Mater p. p.  
§. 2. n. 6.  
G. Hur. de  
Irreg. d. 1.  
diff. 5. n. 19.  
Io. Prap. 3.  
p. 9. de Ir-  
dub. 3. n. 13.

a C. ult.  
de Tempor.  
Ord. C. In-  
quisit. de  
Accus.

b Bonae.  
de Cef. d. 7.  
q. 1. p. 4. no.  
5. Turr. de  
Cens. d. 58.  
l. 2. dub. 1.  
Et passim.

6. Dixi num. 2. (etiam primam Tonsuram, &c.) nam Irregularis arcetur ab omni usu Ordinis; Collatio autem primæ Tonsuræ, usus Ordinis Episcopalis est.

7. Porro per usum passivum in una sola re impeditur Irregularis, quoad pertinentia ad Ordines, nempe in receptione Ordinis hoc est Ordines licite suscipere nequit, ut supra satis vidimus; is enim est præcipuus effectus Irregularitatis.

§. III

*Irregularitas, an, & quatenus impedit à Beneficiis, vel acquirendis, vel retinendis, & à Jurisdictione.*

**H**æc adeo sunt in citatis Doctoribus distinctè disputata, ut non oporteat illa huc advocare: multo magis, quia praxes sunt rarissimæ.

CAPUT VII.

De Irregularitate ex Defectu Sanitatis.

§. PRIMUS.

*Quis ille sit.*

1. **SANITAS** potest deficere, vel in corpore, vel in mente. Sit itaque duplex regula.

2. Prima. Ij morbi, qui horrorem, vel notabilem deformitatem inducunt, & multo magis; si usum ipsum Ordinis impediunt Irregularitatem afferunt; etiam ad Minores Ordines In casu dubio Episcopi erit, decernere, an eiusmodi sit morbus.

3. Dixi (etiam ad Minores) nam qui ob aliquem corporis, vel animæ defectum est ineptus ad Sacerdotium, est item Irregularis, quoad alios Ordines, etiam quoad primam Tonsuram, quia tunc est absolutè Irregularis; id, quod Jura a explicant per illa verba, *Ne fiat Clericus Ad Clerum pervenire non possit, Ad Clerum Canones non admittunt, &c.*

4. Secunda regula. Si defectus mentis, id est amentia, sit perpetua, seu per modum habitus, ita, ut amens nunquam usus sit ratione, affert incapacitatem Ordinis, nec solum Irregularitatem. Si vero det intervallum rationis, certe Irregularitatem b inducit.

5. Quid si forte ita ab amentia quis convalescat (quod tamen difficile esse conuevit) ut

per diurnam experientiam omnino sanitas comprobetur? Respondet a Suar, hunc non esse admittendum ad Ordines, quia raro præsumitur perfectè sanus, vel saltem debere accedere Prælati approbationem, ut prius ei constet de Sanitate integre recepta. Diana b alios citans ait, desiderari dispensationem, Sed cum ipse citet Suarium, quem modo nos attulimus, puto, nomine dispensationis, intelligere prædictam Approbationem, quæ certè dispensationi æquivaleret.

§. SECUNDUS.

*Quis dispenset in prædictis?*

1. **SOLUS** Summus Pontifex, quia in Irregularitatem ex defectu solum Sedes Apostolica facultatem habet, nisi eam alius ipse concedat.

Aliqui c putant, Episcopum dispensare in hac Irregularitate ex defectu Sanitatis cum suis ovibus posse, quoad Minores Ordines, sed oppositum propter rationem allatam esse probabilius. d

2. Neque huic doctrinæ adversantur ea, quæ diximus nuper paragrapho primo, numero primo, Quodque alij e communiter docent, pertinere ad Episcopum in casu dubio, decernere, an hic, vel ille defectus, ita sit notabilis, ut inducat Irregularitatem (Idem dicemus infra c. 8. paragr. 2. de deformitate corporis dubia.) Non adversantur, inquam, aliud enim est dispensare, aliud decernere, an sit necessaria dispensatio, nec ne: illud autem pertinere diximus ad Pontificem, hoc extendi ad Episcopos.

3. Immo addimus f pro Religiosis exemptis posse proprium Prælatum decernere de eiusmodi notabili defectu, ut etiam de deformitate, licet fateamur Episcopo Ordinanti integrum esse, eiusmodi iudicium Prælatorum Regularium posse rejicere, vel admittere.

4. Quando defectus, ut & deformitas sub dubio superuenit Religioso jam initiato, posse item iudicium de eo fieri à suo Prælati, diximus alibi. g

CAPUT VIII.

De Irregularitate ex corporis vitio.

1. **COGNATA** est præcedenti præfens Irregularitas; sæpè enim infirmitas de-

a C. Si quis  
C. Hi qui  
C. Qui par  
tam di. 55

b Molina  
To. 4. tr. 3.  
d. 70. nu.  
12. aliique  
sõmuuster.

a Suar, de  
Cens. d. 11.  
sect. 1.

b Diana  
p. 11. tr. 2.  
ref. 67.

c Maiol. de  
Irreg. l. 2. c.  
14. n. 6. c.  
c. 15. n. 6.  
& c. 16. nu.  
12. Archi-  
diac. in c. 2.  
& 3. dist. 33

d Bonac.  
de Cens. d.  
7. q. 2. p. 2.  
n. 23. Vgl.  
de Irreg. c.  
53. n. 2. &  
c. 54. n. 3.

e Mol.  
Suar alijs  
apud Dia-  
nam p. 3. tr.  
6. ref. 61.

f Cum  
Suar d. 51.  
de Irreg.  
sect. 2. nu.  
16. Gibal-  
c. 3. q. 2. n.  
6.

g In opus-  
de Sacr.  
Missal. l. 6.  
7. §. 6. in e-  
dit. noviss.  
Venti.